Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8269
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



mini assensu alienari permittant:) alienata esse, ut pro ijs Juramentum atq; fidelitas praestari debeant.

Cum enim contrahentes se referant ad Jura feudalia, quae tanquam manifesta ignorasse non praesumuntur, Jura uero feudalia hoc disponant, feuda (: ad omnes haeredes transitoria:) absq; assensu Domini alienari posse: omnino censetur uerbis his (: Secundum Jura Feudalia:) iam dicta significatione adiecisse, fac: not: In terminis Doctissimi Decian: d: respons: 58. n. 64. Vol. 2. Vbi tractat de inuestitura, qua fuit data alienandi licentia secundum Jura feudorum & consuetudinem, in haec uerba scribens: Cum princeps sciret Jura feudalia prohibere alienationem, et tamen uoluerit concedere expresse hanc alienandi facultatem, uidetur sensisse, quod Jura feudalia etiam hoc disponerent, & ideo optime exponitur illa dictio, secundum Jus feudorum, id est, quia Jus feudorum ita disponit. Sciebant enim hi Principes feudum hoc concessum fuisse a principio mediante precio & emptione, & ideo quod etiam Jure feudorum poterat tale feudum emptitium alienari. Sciebant insuper hoc feudum fuisse concessum pro omnibus haeredibus, ut quicunq; comprehendantur, Ni-

mirum